



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. V. Ordo Hospitalariorum S. Antonij, per Gastonem virum nobilem  
circa an. 1121. excitatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

B. *Gertrudis*, filia S. Elizabethæ Lantgraviæ Hafsiaë, virgo & Abbatiffa Aldenbergensis, in diœcesi Treuerensi, an. 1297. in Domino obdormiuit, ipso die S. Hippolyti.

B. *Radigundis*, virgo, quiescit in monasterio Charitatis, haud procul à Ciuitate Roderici, quæ est vrbs Episcopalis Hispaniæ. De quo monasterio nos in Chronico Præmonstratenfi egimus anno 1170.

## CAPVT V.

*Ordo Hospitalariorum S. Antonij, per Gastonem virum nobilem circa annum 1121. excitatus.*

1121. **C**irca annum Christi 1121. *Gasto*, vir nobili genere in prouincia Viennensi natus, eiusque filius *Girondus* floruerunt, quibus auctoribus S. Antonij societas, apud Motam, Viennensis diœcesis opidum, sumpsit exordium. Huius instituti sodales, pietatis officio intenti, pauperibus, mutilis, sacro igne tactis, cæterisque ægris ac debilibus hominibus subleuandis, ac sustentandis operam in primis id temporis dabant. Cui rei significandæ putât nonnulli à *Gastone* & *Girondo* adsumptam figuram Græcæ litteræ T. seu signum Potentiæ, vt Galli baculum seu scipionem, sustentandis debilibus proprium, suo idiomate vernaculo



maculo nuncupant: etsi alij alias causas adsignent. Apud Ezechielé certè Prophetam illi duntaxat memorantur signo *Tau* fuisse notati, qui abominationes in ciuitate fieri solitas detestabantur: de quibus etiã dictum, *Omnes autem super quem videritis Tau, ne occidatis.* Cap. 9.

Ceterùm nata est societas ista occasione corporis *S. Antonij*, ex vrbe Constantinopolitana in prouinciam Viennensem allati per *Iocelinum* castri Albenciani, & Motæ Sancti Desiderij dominum. Cui quidem decenter collocando, idem apud Motam ditionis suæ opidum (quod hodiè *S. Antonij* dicitur) basilicam à fundamentis exstruere cœpit: sed morte præuentus perficere non potuit. *Iocelini* sine liberis defuncti hereditatem iure propinquitatis adiit vir nobilis *Gungo Desiderius*, qui iussu Urbani II. Papæ (per prouinciam Viennensem versus Clarum-montem ad concilium ibidem celebrandum iter facientis) inchoatam basilicam perfecit, atque in ea *S. Antonij* reliquias honorificè collocauit. Et ne quid deesset, instituti Benedictini monachos ex monasterio *S. Petri*, quod Montis-maioris in diocesi Arëlatensi nuncupant, aduocauit, & basilicam ab ipso Calixto II. Papa anno 1119. dicendam ac consecrandam curauit. Grassabatur id temporis per Galliam sæua lues ignis ardentis: cuius meminere *Sigebertus Gemblacensis*, *Vincentius Bellonacensis*, & alij. Quo factum



ctum, vt maximus hominum ægrorum concursus ad Motensem S. Antonij Basilicam fit factus: plurimiq; sani atque ab omni morbo liberi, meritis sancti viri, domum redierunt. Inter alios vir nobilis *Gasto*, ex prouincia Viennensi oriundus, eiusque filius *Girinus* seu *Girodus*, à graui vterque morbo est liberatus. Itaq; *Gasto*, vnà cum filio, se & sua omnia S. Antonio obtulit, & totum se dedit curandis ægris, atq; igne sacro faucijs, qui magno numero quotidie Motam confluebant. Huic pio misericordix operi intentis alij octo plus minus viri paullò post sese adiunxerunt; sanctissima inter se inita societate. Atque hæc quidem prima ordinis Antoniani origo fuit, vnde & distichon:

*Gastonis voto sociatis fratribus octo.*

*Ordo est hic cœptus, ad pietatis opus.*

Creuit postmodum societas ista, estque ab Alexandro III. Urbano III. Clemente III. Bonifacio VIII. & alijs varijs Põtificibus Romanis confirmata.

Mortuo *Gastone*, fratres hospitalis siue domus eleemosynariæ S. Antonij Magistrũ, seu Præceptorem elegerunt Stephanum, sacerdotem piũ ac venerabilem. Huic anno 1131. defuncto successit *Hautelinus*, *Sofredus*, & sic alij ex ordine, vsq; ad annũ Christi 1297. quo Bonifacius VIII. Prioratum S. Antonij, amotis monachis Benedictinis, in dignitatem Abbatialem commutauit, diplomate apud vrbe veterem.



veterem I V. Idus Iunij dato, anno Pontificatus sui tertio: *Habito, inquit, fratrum nostrorum consilio & ad sensu, predictum Prioratum cum omnibus Ecclesiis, membris, iuribus & pertinentijs suis ab omni spirituali & temporali potestate, iurisdictione, dominio, iure, subiectione, obedientia, & dispositione quacumque monasterij Montis-maioris, nec non Abbatis & conuentus eiusdem monasterij eximimus, ipsumque ab eis decernimus liberum penitus & exemptum. Priorem, monachos, conuersos & alios quoscumque, si qui sint in ipso Prioratu per Abbatem & conuentum, vel eorum mandato seu auctoritate per alios forsan deputati, ab eo totaliter amouentes; eisdemque Priori, monachis, & conuersis precipientes, vt ad dictum monasterium redeant inibi Domino seruituri. Porro volumus & mandamus, vt in eodem monasterio & hospitali ac membris regula D. Augustini seruetur, & secundum eandem dicti Abbas & Canonici ac fratres perpetuo viuere teneantur. Habitum vero cum signo, quod Potentiam vocant, in honorem ipsius beati Antonij tam Abbas quam Canonici seu fratres predicti, iuxta morem solitum ipsius hospitalis, semper & quocumque deportent.*

Primus porro Antoniani apud Viennenses seu Motenses monasterij Abbas ex Domino seu Magistro vltimo fuit *Haimo*: quo agente Bonifacius V III. Basilicam S. Andree in vrbe Romana Antonianis adtribuit. Haimoni an. 1316. defuncto in Abbatiali dignitate successit *Pontius Arelacus*, & sic longa serie alij ad nostra vsque tempora.

Fuit



Fuit autem hæc societas ab initio, veluti fraternitas quædã sæcularis, ad exercenda sanctæ caritatis opera; quæ paulatim ad sublimiorem statum prouecta, custodiã corporis S. Antonij patroni sui obtinuit, & iuxta regulam S. Augustini cœpit viuere, ac demum à plurimis Pontificibus Romanis est approbata. Suntq; hodiè plurimi illius instituti monasteria per Galliam Aquitanicã, Celticam, Belgicam, Italianam, Hispaniam, Germaniam, aliasq; orbis Christiani prouincias: quorum præfæcti proprio ac peculiari nomine *Præceptores* nuncupantur.

Atque hæc quidem ex Antoniana historia Lugduni anno 1534. edita excerptimus, quam *Amarus Falco*, Præceptor domus S. Antonij Barri-ducis, post legationem apud Clemêtem VII. totius ordinis sui nomine obitam, conscripsit. Addit idem *Iacobum* Ierosolymorum & Siciliae Regem, Comitemq; Castrensem, in signum adsumptæ protectionis atq; adfectus in hunc ordinem, testamêti tabulis anno 143. cõditis, heredibus ac successorib. in perpetuum suis mandasse. vt Antoniani ordinis symbolum collo appesum, id est, Potentiam, siue notam T. ex auro puro, vnã cum campanula gestarent.

Notæ T. seu Potentiæ meminit & Bonifacius VIII Papa in suo diplomate, suprã à nobis citato, quam sodales Antoniani ex auro argentove conflatam, collo appensam velut tesseram



tesseram gestant.

Huius ordinis insigne monasteriū visitur Traiecti ad Mosam, quod apud Belgas nunc est vnicum: cetera namque desierunt

Totius ordinis caput, vt dixi est S. Antonij Abbatia in dicecesi Viennensi sita.

### CAPVT VI.

#### *S. Antonij vita breuiter ob oculos ponitur.*

**A**Ntonius Aegyptius nobilibus, & Christianis parentibus natus, quibus adolescens orbatus est, cum ingressus Ecclesiam ex Evangelio audiuisset: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quae habes, & da pauperibus*, tanquam ea sibi dicta essent, sic Christo Domino obtemperandum existimauit. Itaque vendita re familiari, pecuniam omnem pauperibus distribuit. Quibus solutus impedimentis, caelestis vitae genus in terris colere instituit. Sed cum in periculosum illud certamē descenderet, ad fidei praesidium, quo erat armatus, adhibendum sibi putauit subsidium reliquarum virtutum: quarum tanto studio incensus fuit, vt quemcunque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari studeret.

Nihil igitur eo continentius, nihil vigilantius erat. Patientia, mansuetudine, misericordia,

ricordia,